



**Conciones siue Conceptvs Theologici Ac Prædicabiles R.
D. Petro Bessæi SS Theol. Doct. Reg. Galliar. Oratoris**

De Sanctorum Festiuitatibus Anni totius, & aliis solemnitatibus - Opvs
Novvum, Figvris, Allegoriis, Similibvs Ex Sacris profanisq[ue] Scriptoribus
plenißimum, cum occurentium fidei controuersiam tractatione Editio
Qvinta. Nvnc Demvm Integre Svppletæ, Concionibvs Per Octauam Vener.
Sacramenti ...

Besse, Pierre de

Coloniae Agrippinae, 1629

In Festo S. Ioannis Evangelistæ.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56262](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56262)

lum erectis deos orauit, ne iniuriam hanc in se innocuum admissam digna castigatione punirent, aut quid grauius in patriam statuerent. Noli in tuorum laudibus enarrandis insanire, ó Græcia: Stephanus namque noster amplius quid hodie præstat: cum enim non modo ad exilium, verum ad mortem crudelissimam condemnatus esset, iam in extremo vitæ constitutus, in genua procubuit, oculos, & cor ad Deum sustulit, ei supplicat, inimicis vt ignoscat, iniuriarumque admissarum memoriam deponat. Orat enim, *Ne statuas illis hoc peccatum.*

Eia agite, Christiani, vt tandem aliquando optatum portum ingrediamur. Hæc omnia in vestram vtilitatem conuertite, dicit obsecro è morte & martyrio, pro martyris huius, qua ad beatitudinem perueniatur via, alii per crucem, per gladium alii, hic per saxa eodem pertigit. Vera igitur Apostolorum sententia est: *Per multas tribulationes oportet intrare in regnum caelorum.* Discite, inquam, a generoso illo pugile, a strenuo illo athleta, charitate & clementia pleno, inimicos vestros diligere, ignoscere, qui vos ad iracundiam prouocant, iniuriarum memoriam deponere, lites & rixas euitare, vindictamque non sitire. Hac namque ratione datur caelos videre apertos, & ad beatitudinem pertingitur.

Tu vero, ó gloriose & coronate Stephane, Martyrum Patriarcha, Ecclesie primogenite, prime fidei nostræ testis, fidelium honor, gratiam nobis impetra, tuo vt exemplo & imitatione ad fortiter agendum & patiendum incitemur, & ad virtutum tuarum prototypum vitam nostram cõponamus, tu, inquam, generose Christi athleta, sacri Martis pulle, fidelium Hercules, Heroum illorum sanctorum gloria, infraete, immobilis, inuincibilis, qui in fortitudinis signum, palmam strenuitatis, victoriæque symbolum (quo enim illa plus opprimitur, eo & sublimius erigitur) manibus & coronam capite gestas, quod & nomine tuo præfers: in signum scilicet imperii, domini ac regie potestatis, in signum, inquam, esse te Martyrum omnium caput ac regem. Tu itaque Deo dilecte, præ cæteris sanctis priuilegiis donate, eo quod caelos apertos videris, quod nulli vnquam sanctorum

datum est, succurre, auxiliare nobis nostrumque patrociniū suscipe. Precibus tuis impetra, vt quemadmodum Iudæorum ferocientium saxa constantia tua superasti, nos quoque per persecutionem mundi huius saxa cum victoria transeamus: & vt ipse & vitam & sanguinem amisti, ita nos quamuis vtrumque cõmode præstare nequeamus, carnis saltem appetitus sanguinem, concupiscentiæque robur amittamus. Denique quemadmodum inimicis iniuriam remisisti, proque iis Domino supplicasti, qui te ad supplicium trahebant, ita nos amemus, qui nos odio persequuntur, benefaciamus malefacientibus. omnesque iniurias, tua potissimum imitatione, obliuionis tumulo condamur: vt post crudele vitæ huius martyrium, caelos quoque ad tui exemplum apertos videre, & tecum cœlesti beatitudine perfui mereamur: cuius nos participes efficiamus, qui viuit & regnat cum Deo Patre & Spiritu S. Redemptor noster Christus. Amen.

IN FESTO S. IOANNIS EVANGELISTÆ.

Partitio.

1. De gratitudine.
2. De nonnullis S. Ioannis prerogatiuis.
3. De nomine dilecti & accubitu supra pectus Domini.
4. De eiusela Matris Iesu Ioanni credita.
5. De quaesito: Quid autem hic?
6. De S. Ioannis permanentia.

Hic est discipulus, quem diligebat Iesus.
Ioan. 21.

FIGVRA.

ACOB, Patriarcharum veterum decus & ornamentum inter duodecim quos habebat filios, Ioseph minimum natu potissimum diligebat, maiori que quam ceteros amore & affectu prosequabatur. Ita Christus minimu natu Ioannē inter duodecim Apostolos maxime dilexit & fuit. Ille nimirum carissimus illius

illius discipulus, Christi delicia, amor Verbi incarnati, ac Messia gaudium ac solamen erat, amicitiam hanc & singularis huius amoris nexum, imo prerogatiuas illius ac priuilegia mox exponam, si Pneumatis sanctissimi opem & auxilium, gloriosaque Deiparae patrocinium postulauerimus. Atque ideo supplices Angelicam illi salutationem imperiamur, vnanimiter dicentes:

AUE MARIA.

I. Veteres Patres beneficiorum Dei semper memoriam conseruabant. Psal. 65. Gen. 31. Iacob diuitorum beneficiorum memor.

Fuit ea Sanctorum Patrum consuetudo, nullo non tempore ac loco beneficiorum cultus acceptorum recordari, eorumque memoriam semper in animo, vt ita ingratiuitudinis notam subrefigerent, conseruare. Ita Dauid Rex agere solebat, qui saepenumero omnes ad beneficiorum diuinorum memoriam excitare gestiens, dicebat: *Venite, audite, & narrabo, omnes qui timebitis Deum, quanta fecit anima mea.* Id ipsum faciebat & Iacob Patriarcha: cum enim Esau frater paruulos illius vidisset, quaesissetque, cuius omnes hi liberi forent, respondit alter: *Paruuli sunt, quos donauit mihi Deus serui tuo*, bonorum deinde suorum partem illi offerens, ait: *Accipe benedictionem, quam ait tibi, & quam donauit Deus tribuens omnia.* Animaduerte queso, vt cuncta in Deum omnium bonorum datorem & largitorem refundat, eiusque liberalitatem deprædicet. Esau vero aegrestis & barbarus, Dei que oblitus nihil eidem ascribit, sed ingratiuitudine plenus ait: *Habeo plurima frater mi, tuatibi simi:* cum dicere contra debuisset, plurima quoque mihi largitus est Dominus: at, quæ eius ingratiuitudo est, ait: *Habeo plurima.*

Ioseph Deum agnoscit omnium datorem. Gen. 41.

Hanc loquendi consuetudinem seruauit & Patriarcha Ioseph, cum enim ad regnum Ægypti euectus esset, ait: *Deus facit me Dominum in uersa domus Pharaonis, ac Principem in omni terra Ægypti.* Non ait, Pharaon constituit me æconomum domus suæ, aut huius me honoris fors compotem fecit, aut hanc dignitatem prudentia promerui mea, sed omnia mihi elargitus est Deus, ipse hanc mihi gratiam præstitit, hæc ab illo profecta sunt, huic denique & non alteri omnia adscribenda sunt. Hinc in Genesi præclarè conceptum legimus.

Idem Patriarcha cum duos filios haberet, Nomina finni nomen dedit Manasses, id est, *Oblitus: lior* Ioseph me fecit Deus omnium laborum meorum: alteri mystica. Ephraim, id est, *Crescere me fecit Deus in terra paupertatis mee.* O insignem in viro hoc sanctissimo beneficiorum agnitionem! non satis ei visum est, Deo ob accepta beneficia & pericula depulsa immensas gratias agere, sed filii nomina, quibus beneficium huius magnitudo designetur, quin etiam imposuit, vt perpetua horum in animo suo viueret memoria, ipsique filii hoc nomine accepto ad gratias toto vitæ tempore ob beneficia Patri collata agendas, non secus ac Pater excitarentur.

Duo illi exploratores, quos Iosue urbem Iericho explorandam misit, mirabili industria & stratagemate beneficia à Raab accepti memoriam conseruare conati sunt. Nam cum ipsa eos morti eripuisset, dixissetque, *tu- rate mihi per Dominum, vt quem admodum ego misericordiam feci vocisum, ita & vos faciatis cum domo Patris mei.* Illi mox subintulerunt: *Innoxii erimus à iuramento hoc, quo adiurasti nos, nisi ingredientibus nobis terram signum fuerit funiculus iste coccineus, & si auerit eum in fenestra, per quam dimisti nos.* Notate, quæ so, stratagemata, notate rei proprietatem, signum poni loco volunt, in quo beneficium accepere, vt tanto melius illius recordarentur, ingratiuitudinemque eo melius ex animo propullarent.

Ipsæ quoque Deus, quando homines huiusmodi artificia reperire nequeunt, eadem suorum beneficiorum demonstrat, & vltra suggerit, ne homines sui obliuiscantur, beneficiorumque memoriam amittant, atque ita ingratiuitudinem demonstret, quod historia è libro Iosue demonstrat. Cum populus Israeliticus pedem Iordanem transuadasset, & Dominus beneficium huius perpetuum exstare monumentum vellet, Iosue ait: *Elige duodecim viros, singulos per singulas tribus, & præci; e eis, vt tollant de medio Iordanis aluoc. ubi steterint pedes Sacerdotum, duodecim lapides durissimos quos ponetis in loco castrorum, ubi fixeritis hac nocte tentoria.* Non vult duodecim hos ex vnica tribu eligi, sed singulis singulos, vt ita demonstrat, beneficium esse commune omnibus, vniuersisque

& singulos eiusdem debere reminisci. Non vult adhuc quoslibet lapides aut vulgares capi, sed durissimos, vt diutius superstes ita maneat memoria, ipsaque recordatio nullo vnquam auo intermoriatur. Idem & in nouo Testamento satis insinuatur: cum enim Dominus in deserto quinq; hominum milia duobus piscibus & quinque panibus hordeaceis ciballet, Apostolos quæ superauerunt fragmenta, ne perirent, colligere præcepit. Cur putemus principem illum magnificentissimum tam anxie reliquias has colligi mandasse? an eum illiberalitatis accusabimus? an vt auarum & tenacem culpabimus? nequaquam. Sed ostendere voluit, se, vt in rebus necessariis dandis liberalis est & effusus, ita & in superfluis haud esse prodigum, vel summum illum principem, postquam beneficia in nos contulit, miracula nostri causa operatus est, velle reliquias à nobis colligi, id est, eorum semper nos recordari, ac nullo vnquam tempore memoriam eorum mente deponere.

O ingens Christianorum ingratitude! ô summa beneficiorum obliuio! qui postquam mille beneficiorum genera accepere, vix vnus recordantur, vix ob vnum aliquas datori gratias agunt. Assuerus Rex, cum curis grauatus, totam noctem insomnem duceret, veterum annalium monumenta peruolauit, in quos, quæ à subditis acceperat beneficia, fideliaq; eorum obsequia relata erant: eum diligenter singula euoluisset, magnam erga omnes, quos nondum digna mercede remuneratus erat, liberalitatem ostendit. O Christiani! Euangelica lex historia quædam generalis est, & annales, quibus omnia dona & gratiæ, quas à Deo accepimus, continentur. Sed heu, quam paucas iis peruolantibus horas impendimus? quam parum temporis in earum compensatione infumimus? O pudor, ô dedecus & ingratitude!

Sed videre hic, vt Apostolus, Euangelista, Propheta, vir penitus admirabilis, quo infamem ingritudinis notam effugiat, donorumque cœlestium memoriam immortalæ in animo conseruet, beneficia, prærogatiuaque, quas à Domino Iesu Christo accepit, exaggeret. Ait enim se discipulum illum esse,

quem Iesus diligebat, & præ cæteris complectebatur. Nihil porro aliud hodiernum Euangelium complectitur, *Ecce est discipulus quem diligebat Iesus.* Vt porro latius deducam, primo sancti huius merita ac prærogatiuas recensabo, ac deinde historia: Euangelicæ contextum exponam, aurem mihi accommodate, ad rem me accingam.

Ioannes hic, cuius hodie festum & memoriam celebrat Ecclesia, fuit Zebedæi filius, frater Iacobi maioris, atque vnus è duobus, quos mater ambitione flagrans, in Iesu Christi regno, cum Israel Rex constitueretur, sublimari voluit, dicens: *Dic vt hi duo filii sedent vnus ad dexteram, & alter ad sinistram.* Inter Apostolos, ille quidem fuit natu minimus, sed Euangelistarum summus, quod egregia figura exposuit Ezechiel Propheta, vidisse se namq; ait quatuor animalia, sed aquilam cæteris magnitudine præstitisse: *Et facies aquila de super ipsorum quatuor.* Porro quatuor hæc animalia quatuor Euangelistas denotat, inter quos Ioannes per aquilam designatus, cæteris euolat sublimius.

Ioannem vero per aquilam, quæ imperialis auis est, designari testis est Hieron prolog. super Matth. August. lib. 1. de Consensu Euangelistarum, cap. 6. & Hom. 1. in Apoc. & Greg. Magnus lib. 3. cap. 35. Vt enim aquila fulmina, ita nec ille tribulationes aut tormenta exhorruit: vt illa irretorto & non conuerti lumine solares radios intuetur, nec splendori cedit, ita quoque ingenium Ioannis, quod nubes transcendit, solemq; iustitiæ infractum & pertinaci oculo perspexit, cedere nesciuit. Est namque ingens illa aquila, quæ ad usque Libanum montem, i. e. ad summum diuinitatis euolauit, & magnæ illius cedri medullam, i. e. cor Verbum Patris æterni imbibit, in cuius cognitione tam sublime euolauit, vt non cæteros modo Euangelistas, sed se ipsum quoque superarit. Conceptus huius formam Ezech. Propheta adaptauit, dicens: *Aquila grandis magna um ala: um, longo membrorum ductu, plena plumis & varietate venit ad Libanum, & tulit medullam cedri.*

Cum vero de auibus & volatu mentio incidit, de aquila nostra merito illud Psalmistæ occinere possumus, *Ascendit super Cherubim, volauit*

volantibus suis, et pennas ventorum. Per ipsos Cherubim Augustinus hic scientiæ multitudinē designat, atque in hunc modum Ioannes omnem scientiam tam naturalem quam supernaturalem, quæ vel Apostolis, vel Evangelistis communicata erat, longe superasse dicendus est. Deinde per duos illos Cherubim, propitiatorum alis suis cooperientes, communiter duæ in Christo naturæ intelliguntur, super quas summus hic Evangelista sublimi quadam cognitione euolauit. Per pennas has ventorum, Angelorum, & Apostolorum scientiam denotari docent plerique quam idem Evangelista transcendit.

III. Fuit ipse Doctor in omni scientiarum genere veratissimus, edoctus in Spiritu S. schola, non Platonis, Aristot. Socratis, aut aliorum, sed Iesu Christi discipulus, *Hic est discipulus quem diligebat Iesus.*

Quæ prerogatiua singularis, & honor cum nullo æquiparandus! ð incomparabilis discipuli huius felicitas, Iesum præceptorē habuisse! Si enim beatum se, & felicem existimauit Philippus, quod Alexander filius Aristotelis nactus fuerit, maior profecto discipuli huius gloria & beatitudo est, quod Filium Dei Magistrum illum Angelorum Doctorem habuerit. Quam merito igitur cum Propheta exclaimem: *Beatus quem tu erudiris Domine, & de lege tua docuisti eum.* Beatus Ioannes, qui in schola tua fuerit edoctus.

Scripta Ioannis varia doctrinarum genere veratissimū! doctissima illius doctrina re. scripta fidem faciunt, & in primis Euangelium, quod post cæteros Evangelistas scripsit, & ipsum doctissimum ac profundissimū: tres item illa epistola subtilissimæ ac Theologiam reconditam spirantes: Apocal. illa profunda, in qua tot Sacramenta mysteriaq; quot verba & apices, vt asserit Hieron. Imo tanta illius doctrina fuit, vt ipsimet Angeli, teste Chrysostr. multa abscondita, & abstrusa ab eo didicerint. Ideo factum puto, vt Marcus eum filium tonitruū appellarit. Tam profundus enim de Deo deque diuinitate locutus est, vt tonitruū potius quam vox humana fuisse videatur. Ad quod Propheta alludens ait, *Vox sonitruū in rota.* Nam Evangelicæ prædicationis ac præsertim Ioannis vox tam

alte insonuit, vt tonitruū quoddam per rotam fremens & per orbem terrarum intonans fuisse, quis dixerit, quando in omnem terram exiuit sonus eorum.

At nondum hic quiescimus, nam præter singularem ilam doctrinam, habuit & Prophetiæ donum, quod è scriptura adstrui potest. Initio enim Apocalypseos scriptum legitur, *Beatus qui audit verba Prophetiæ huius, Apoc. 1. & seruat quæ in ea scripta sunt.* O quem nam Prophetam! non habuit vetus Testamentū similem: quicumq; enim olim Propheta exstiterunt, non nisi eminens Deum viderunt: hic autem manu eum tetigit, & superpectus eius recubuit, omnia ab illo hauriens quæcunque Ecclesiæ militanti euentura vaticinatus est.

Potest quin etiam inter Martyres recenseri: quatuor namque Martyrii genera sustulit. Primum Dominicæ passionis tempore, cum sub cruce confisteret: hinc quippe patiebatur magister, & ipse illinc: vt quatuor Evangelistæ vnanimi cōsensu tradunt. 2. Venenum mortiferum bibere coactus, quod ad mortem violentam referri debet: ita omnis testatur antiquitas, & in primis Isidorus Hispalensis. Hinc pictores calicem ei in manus eum colibro affingunt: vel potius, quod Dominus olim ipsi vt & fratri dixerit, *Calicem meum bibetis.* 3. Imperatoris Domitiani tempore in Insulam Pathmos in mari Ægeositam relegatus fuit, in qua omnes Apocal. suæ visiones vidit: porro ipsum exilium ad mortem civilem, vt Iurisconsulti loquuntur, referendum est. 4. Nono Domitiani anno, cum Romam Epheso ductus esset, idque suadente Apollonio Tyaneo Mago, (de quo Philostratus admiranda quædam refert, præsertim ea quæ Ephesi gessit, quando nimirum Imp. obitus diem, dæmone id fugerente prædixit, ob quod statuam promeruit) Domitiani iussu in feruētis olei dolium coniectus est; è quo sine vlla læsione aut detrimento, non sine singulari miraculo emerfit. Testatur hoc Magnus Ecclesiæ Doctor Hieron. & ante eum Tertullia. Apost. Ioannes *Lib. de præp. posteaquam in oleum igneum demersus nil passus scripsit. hanc est.* An non hæc quatuor mortis & Martyrii genera sunt?

Quatuor Martyrii genera Ioannes pertulit.

De partibus N. Testam.

Lib. de præp. scripsit. hanc est.

Epist. ad Paulinam.

Marc. 3.

Psal. 76.

Aburdum porro est, Martyris cum nomine indignum dicere, eo quod vitam non amiserit. Sed e contra dicendum nunquam Deum in Sanctorum suorum perniciem aut detrimentum edere miracula; atqui si Ioannes Martyr dici non possit, eo quod in supplicis mortuus non fuerit: ingens illud miraculum, quo feruenti dolio creptus est, magno illius damno contigerit, atque egregia Martyrii eum corona priuarit. Huc accedit, quod Ioannes Chrysoftomus pro huius rei veritate decertans, duobus in locis asserat, Dominum Ioanni & fratri eius Iacobo martyrii coronam pollicitem esse, his verbis, *Calicem meum bibetis*: quod non nisi de martyrio potest intelligi. Adhuc quanta illi facta esset iniuria, ecquod dedecus & ignominia foret, ceteris Apostolis Martyrum laurea coronatis soli huic eandem denegatam fuisse? Vere igitur Martyr fuit, ac penitus celestis ac diuinus, & quod præ ceteris æstimandum, *est discipulus quem diligebat Iesus*.

Hom. 6. 6. super Matt. 27. sup. epist. ad Hier.

Heb. 1.

Quis vnquam mortalium, imo & Angelorum hoc nomine donatus fuit? Si enim Paulus, vt Messia dignitatem inaueret, eumque Angelos excedere ostenderet, ait, *Tanto melior Angelus effectus, quanto excellentius praestitit nomen hereditauit*. Apostolus hic profecto ceteris hominū & Angelorum tanto dignior & eminentior dicendus est, quanto gloriosius & nobiliter nomen, delictum scilicet Christi Iesu adeptus est. Quin etiam si Sapiens olim dixerit, *Melius est nomē bonum, quam multa diuitia*: nobile illud Ioannis nomen (*quem diligebat Iesus*) merito omnia hominum nomina omnesque qui in mundo sunt titulos, dignitate & excellentia antecellit, adeo vt de illo dicere non verear, *Et dedit illi nomen, quod est suum, et nomen*: nam post Messia nomen nullum est inter homines aut maius aut excellentius: imo vnum & idem cum illo videtur esse.

Prou. 22.

Solent amici in omnibus rebus sibi similes esse, ipsaque similitudo vere amicitiae fundamentum est: imprimis autem Deus omnes quos amat & cōplectitur, sibi esse vult quam simillimos. Vnde Paulus, *Quos praesertim & praedestinauit conformatos fieri imaginis filii sui*.

Rom. 9.

Christus igitur Ioannē e toto corde & anima diligens, idem eum secum nomē habere voluit. In veteri enim & nouo Testamento hoc semper filii Dei & Messia nomen fuit, nam in Psalmis legimus, *Dilectus quem admodum filius vnicornium*. In Cantibus quoque; toties hoc nomine a sponsa compellari se gaudet, *Dilectus meus mihi, & ego illi*; quin & in Euangelio summi Patris ore pronunciatū est, *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*. Et in Euangelio de Transfiguratione, *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite*. Et ecce, delictum illius idē nomen sortitus est, *Quem diligebat Iesus*. Ratio est, quod inter amicos omnia debeant esse communia, & paria, idem nomen, cor idē, voluntas vna; similitudo & communio in omnibus. Magni in libris Regum sit amicitia Chusai Archite: cū Dauid: hinc cū eius mentio fit, dicitur; *Cū autē venisset Chusai Archites, amicus Dauid*. At amor & dilectio, qua Christus Ioannē est profecutus, longe maior & eminentior est. Quænam enim inter Dauidem & Christum comparatio? quænam inter filii Dei & Regis alicuius amorem similitudo? quid cōmune habet dilectio Regis terreni, & totius mundi Monarchæ? Ioannes noster à Christo diligebat, *Quem diligebat Iesus*.

Psal. 28.
Cant. 1.
Matth. 3.
Matth. 17.

2. Reg. 109

Dixit olim de Benjamin Moyses, qui Rachelis matris delictum erat: *Benjamin amantissimus Dominus inter humeros eius quiescit*. At potius hoc de Iesu Christi delictio Ioanne dicere poterimus. Fuit ille inter filios Iacob natu minimus, hic inter discipulos Iesu Christi; ille inter humeros requieuit, hic supra pectus in cœna recubuit. O euidentis amoris indicium! & affectum singularē! quam iucundum porro spectaculum fuit, videre Ioannē inter omnes Apostolos electum, in vltima cœna, supra sacrum Christi pectus, omnis sapientiae fontem, recumbentē? Quid hoc est, Iesu bone, aliud non habes, cui caput inclines, quam humeros Ioannis? & ad tantā hominem dignitatem euehi, suum vt caput in pectus Dei reclinet? Annon igitur cum Apostolo exclamare liceat, *Quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit huic simile*? Et cū cæco, de quo in Euangelio Ioan. 9. dicere,

Dent. 32.

1. Cor. 13.

A. 8.

Marc. 7. A saculo non est auditum, tam familiariter habitos, ut in eius pectore fessum caput reclinarant. O amor, ô honor, ô prerogativa & paradoxa! Ioannes Baptista materno in utero sanctificatus, in deserto vivens, quo nullus inter natos mulierum maior exiit, indignum se existimat, qui corrigiam calceamentorum Messie solueret. Maria Magdalena post tot effusas lacrymas, editaque suspiria ac singultus, secus pedes Domini prostrata iacet, nec faciem illius auder intueri. Thomas Apostolus digito vulnera illius tangere, aut summam cutem perstringere veretur. S. quoque Petrus Apostolorum Princeps accedere ad illum vix audet, sed in genua proci-dens exclamat: *Exi à me Domine, quia homo peccator sum.* Ioannes tamen familiaritatem novam assurnit, corpus illius commune reddit, in sinu illius reclinatus dormit, super pectus illius recumbit, osculatur, amplexatur, ac mille amoris ei ostendit indicia. O nova amoris argumenta! ô familiaritas admiranda! ô dilectio incomparabilis & inaudita!

Cant. 2. Sponsa illa in Canticis, quod à dilecto amplecteretur, & stringeretur, gloriatur & gaudens apud omnes ait: *Lava eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* At maior profecto Evangelistæ nostri est gloria, cui maiorem unigenitus Dei amorem ostendit, ut scilicet ab ipso diligatur, foueatur, stringatur, quodque communes amicitiae limites transcendit, familiariter in sinu illius recumbat. O dilectio, cui nulla unquam par exitit!

Gen. 8. Iacob Patriarcha, cum lapidi innixus somnum caperet, admirabiles visiones habuit, Ioannes cum Petri fundamentali, Iesu Christo, inquam, inniteretur, mirificas procul dubio revelationes percepit. Ex hoc nimirum Oceano tot mysteria hausit; ex hoc prompruario tantam doctrinam deprompsit; ex hoc Parnasso tam præclara vaticinia & oracula deduxit; hæc eum academia tam doctum effecit, ut totus doctrinam orbis obstupescat, dicens: *Hic est discipulus, quem diligebat Iesus* quippe supra pectus in cœna recubuit.

Plutarch. Aquila cum ova excludit, pullum qui ex ovo cordi quam proximo prodit, plus cæteris diligere & fouere solet. Ut hoc materiæ nostræ

adaptemus, dicendum est, cum iuuebis hic discipulus cordi aquilæ illius, de qua dictum est, *Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos*: tam vicinus sit, non esse mirandum, si tam tenere ab illa diligatur, tam amanter stringatur, si de eo dicatur, *Hic est discipulus, quem diligebat Iesus.*

Discipulum ter. ac quater beatum! annon enim magnæ felicitatis argumentum, Verbo æterno tam vicinum, diuinæ maiestati adeo gratum, mundi denique Redemptori adeo familiarem esse, ut intra pectoris eius sinus recipiatur? Nihil hæc sunt, quæ hæcenus diximus, Auditores, aut saltem exigua admodum, si cum iis, quæ mox dicturus sum, conferantur. Quidquid enim dictum est, non nisi ad familiaritatem ordinariam & communem referri potest: sed quod modo dicturus sum, communem familiaritatis ordinem longe excedit. Fuit, fuit Ioannes custos, ac veluti tutor Virginis, tutela Deiparæ, primus inter Regina cœlorum affectus & clientes. Huic scilicet vni illam Christus moriens legavit, ac commisit, illius in manus ac potestatem tam nobile pignus, thesaurum adeo luculentum, & tanti margaritam prærii consignavit. Cum enim in cruce suspensus, non nisi duo sua in potestate haberet, quorum illi dispositio libera foret, quæque vnice diligebat, animam & matrem, illam Patri, & hanc discipulo carissimo cõmendavit, quam ille tanto amore & cultu profecutus est, ut toto vitæ tempore eandem non deseruerit, eandem circumquaque, prout Ecclesiæ bonum & necessitas fidelium postulabat, secum ducens, & in Asiam illam secutus fuerit, ut colligere est ex Epistola quadam synodali Concilio Ephesino ad clerum Constantinopolitana. Vobiscum igitur stauite, num discipulus ille à Christo fuerit dilectus, cum eum rei tam caræ, matris inquam suæ tutorem, & custodem constituerit.

Si felicitatem suam Ioseph magnificerit & celebrarit, quod quidquid Puriphar Egypti præfectus possideret, suæ esset cõmmissum fidei, adeo ut non sine admiratione Domine dixerit: *Ecce dominus meus omnibus mihi traditis ignorat, quid habeat in domo sua, nec quid*

IV.

quarta.

quam est, quod non in mea sit potestate, quis pro merito honorem ac felicitatem discipuli huius admiretur, cui Dominus Iesus, quod in hac vita habebat carissimum, matrem inquam in tutelam custodiam ac protectionē dedit?

Figura.

Jacob Patriarcha cum mortem sibi instare cerneret, ut amorem, quo Ioseph filium plus ceteris fratribus diligebat, testatum faceret, hac eum oratione compellauit, *En ego morior, & erit Deus vobiscum, reducetq; vos in terram patrum vestrorum, do tibi partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & in arcu meo. Quamscite & apposte* Figura hæc proposito meo quadrat! Iesus Christus Patriarcharū omnium Rex cum in mortis articulo constitutus esset, ut singularem, quo Ioannē natu minimum præ ceteris prosequeretur Apostolis, amorē testatum faceret, pretiosum illi pignus, Mariam Virginem, potissimum in tutelam tradidit quam in gladio crucis, & passionis arcu tulerat de manu Amorrhæi, i. e. à peccati tyrannide, & captiuitate diabolica, quæ ab Amorrhæis infernalibus descendunt, præseruauit.

Gen. 44.

Cum Israelita terram Ægypti ingressi essent, & iam domum reuertere arant, scyphum argenteum sacco Benjamin natu minimi Ioseph totius terræ dominus includi iussit. Vestra id venia propositæ materiæ adaptabo. Quod Benjamin inter ceteros Iacobi filios, hoc Ioannes inter Apostolos erat, quippe non nisi viginti erat annorū, cū Christ⁹ à mortuis resurgeret: Virgo autē Deipara erat scyphus ille argenteus pretii incomparabilis: ita namq; interpretatur Rupertus locum illum Cantorum: *Umbilicus tuus sicut crater cornutis, nullis indigen. poculis.* O craterem pretiosum, sed ex argento purissimo, quod puritatis illius ac castitatis symbolum est, conflatum! Ille hodie in sacco, id est, in potestate iunioris huius discipuli & non aliorum inclusus reperitur. Anne igitur ad figuræ huius similitudinem & adaptationē aliquid videtur addi posse? Iam quanta discipuli huius dignitas sit, despiciendum restat.

Cant. 7.

Amā, quod solus inter ceteros Aulicos à Regina Esther ad conuiuium vocatus esset, felicissimum se ac superis parem iudicabat, dixit enim: *Nullum alium Regina Esther vocauit ad conuiuium cum Rege, præter me.* Si vnica ad epulas inuitatio iniolescens Purpurati huius animus ita commouit & cleuauit, quid de S. Ioanne dicendum est, qui tanto tempore, tamq; familiariter cum Angelorum Regina, ipsaque Dei matre comedit, bibit, & commoratus est? an non admirabilis ille ac singularis honor est? an non prærogatiua nemini concessa mortalium?

Magni fecit Eliæ pallium Elizeus, quod illi magister, cum curru igneo in cælum subueheretur, reliquerat. Equidem historiæ huic velut figuræ insistenti, sacratissimam Virginem velut pretiosum existisse pallium dico, quod Iesu Christi carnem cooperuit, quod eandem textit & conseruauit: ipsa est pallium, sub quo vniuersa Ecclesia velut sub umbra delitescit: sed pallium, quod verus Elias Christus in igneum crucis curru, amore & charitate æstantem subuectus charissimo suo discipulo, velut amoris & dilectionis tesseram reliquit, hoc porro donum omnia quæ reperiri possint dona, pretio & valore antecellit. Exclamem igitur iterum, ô honor singularis tam nobile pignus in tutela ac protectione habuisse!

Si Dominus benedixerit Obededom Gethæo, quod tribus apud eum mensibus arca Dei diuerterit: quis quæso exprimat, quot gratias, charismata, & benedictiones discipulus ille quindecim annorum spatio, quibus Virginē hanc veram arcam fœderis post Christi ascensionem, in custodia ac tutela habuit, receperit? Si enim vnica Messia salutatione Ioannes Baptista matris in vtero sanctificatus fuit, quantum discipulum hunc ex longa cum Messia matre familiaritate & vsu virtutum sanctitatisque contraxisse credendum est? an non omnibus eum gratis & charismatibus donatum? an non larga & prodiga omnes in eum manu perfectiones collatas existimemus, cum discipulus fuerit, quem diligebat Iesus?

Hic

Hic me eloquentiam deficere doleo, Auditores, vt huius magnitudinem amoris exponam. Vtinam & lingua mihi Ciceronis, verba Demofthenis, Plutarchi facundia sit, ad dignitatem eius nobilitatemq; celebrandam! Sed quid? materia vires excedit meas & eloquentiam. Vnum hoc addam, ad discipuli huius felicitatem deprædicandam; si ad solam Iosue vocem sol in medio axe cursum stitit, ad Elię verba ignis cœlitus secundo lapsus est, qui tamen non nisi de communi Sanctorū numero erant, quid ad solum obsecro discipuli huius nutum fieret, si potentiam suam adhibere, priuilegiaque ad effectum vellet cogere? si enim tanta fuit seruorum auctoritas, quanta amici futura est, & quidem intimi, ac discipuli illius, quem diligebat Iesus? plura hic non adferam, cum ad Euangelicam historiam ipsa me trahat oratio & eiusdem dispositio.

V.
Euangelii
textus ex-
ponitur.

Dominus igitur Christus cum S. Petro mortem prædiceret, Martyriūq; futuri mentionem faceret, dicens, *Sequere me*, vt creatorem creatura, dominum seruus, pastorem ouis, præceptorem discipulus, ducem miles, (idque non passibus corporalibus, vt quidem putauere Chrysostomus ac Theophylactus, nec moraliter id intelligēdo, vt sentit Theodoretus Heraclæota: Sed per viam mortis & semitam crucis, vt Rupertus, & alii exponunt) & Petrus hunc in modum intelligens conuerteret se videntique discipulum quem diligebat Iesus, diceret: *Hic autem quid?* erat quippe cupidus scire, quid huic fieret, & num eandem secum subiret sortem, aut potius in vita permaneret, *Conuersus autem Petrus, & idit illum discipulum, quem diligebat Iesus, & dixit: Hic autem quid?* Variè ac diuersimode verba hæc intelliguntur & exponuntur.

In primis videtur hæc Petri interrogatio nonnullis curiositatem quandam includere: quod vitium hominibus quodammodo congenitum est, ac naturale, dum ea, quæ ad alios spectant, scire volunt, quæ vero ad se, negligunt. Hoc in se deplorauit Psalmista, dum gemit, *Et lumen oculorum meorum, &*

Tom. 3. Bessæ de Sanctis.

ipsum non est mecum. Verbis ait, non se quidam cæcutire, sed oculos in aliorum semper negotia coniectos habere, sua vero nequaquam perspicere posse, quasi diceret, in aliorum vitiis tam cerno acutum, quam aut aquila, aut serpens Epidaurius, & oculis inunctis mala mea non perideo, imo in iisdem & talpa & Andabata sum cæcior.

Videtur porro scite curiosus mihi oculo omnium sensuum principi, visusque Dominulo comparari: vt enim ille omnia perspicit, & contuetur, deque omnibus coloribus diiudicat, seipsum vero videre non potest: ita curiosus, qui aliena perspicit acutissime, in domesticis vero cæcutit. Atque ita interpretabor verba illa Psalmographi: *Oculi habent, & non vsabunt*, id est, curiosi quidem oculos in capite præferunt, vt aliorum facta explorent, seipsum vero, & quæ ad se spectant, intueri nequeunt.

Primus humani generis parens & auctor Adam quamuis omnibus animalibus nomina, idque iuxta vniuscuiusque naturalem qualitatem, quam sapientissime dederit, sibi tamen nomen, quod vsquequaque naturæ responderet, indere non potuit: animalium quidem cæterorum naturam perspectam habens, suam vero penitus ignorans. Adæ curiosum esse sentio persimilem. Qui omnia quidem exteriora videat, aliorum penetralia & adyta rimeretur, de aliis facile diiudicet, sed in propriis stupidus sit, & visus obtusioris imperfectiones proprias ignorans, seque ipsum nesciens. Si hunc in modum verba Euangelii intelligantur, curiositatis Petrus culpandus erit, ipsaque Domini responsio, *Si eum volo manere, quid ad te?* acriorem correptionem videbitur includere.

Videtur ex aliorum sententia petitio hæc inuidiam aliquam, aut leuem saltem æmulationem præ se ferre: censent enim Petrum dicendo, *Hic autem quid?* immortalitatem Ioanni contubernali suo inuidisse. Quasi diceret, si me ad mortem & crucem destinaueris Domine, quid de Ioanne fiet? me moriente

E riente

riente anne ille futurus immortalis? me patiente ille ne à supplicio eximeretur? solusne ipse patiar? Deinde aiunt Petrum tunc, cum Dominus ei diceret: *Pasce oves meas*, id est, dum totius Ecclesie caput ad Pontificem constitueret, socium non quaesivisse, nec dixisse: *Hic autem quid?* at cum ad mortem, crucem, Martyriumque vocatur, statim socium in cruciatibus postulasse, dicendo, *Hic autem quid?* id est, an non ille, quem tanto opere diligis, in mortis discrimine te non secus atque ego sequeretur? anne solus ego ad mortem & crucem vocor?

Solatiū est
mifero ha-
bere pœna
socium.

Fabula de
vulpe.

Ea nempe est hominum imbecillitas ac peruersa consuetudo, honores vt solis sibi cupiant, in pœnis vero & cruciatibus socios exoptent, iuxta vulgatum illud verbum, *Consolatio est miserorum habere in pœnis pares.* Huc non insulse facere videtur apologus ille *Æscopius*, vulpecula cum scaudā, nescio quo casu, amisisset, vnicum generis sui decus & ornamentum, atque ideo coram cæteris comparere vix auderet, in sociarū conuentu persuadere cæteris cepit, vt caudas velut molestas & indecentibus graues, quæq; non tantum ornamentum, quantum molestiæ & oneris afferret, præmorderent aut auellerent. Verum cum illius versutia patuisset, dicere vnanimes cœpere: nisi ipsa cauda careres, nunquam nostras vt præscinderemus consuleres sed nostra omnium infamia ac dedecore tuā velare gestis, & tollere. Fabula hæc quamuis fabulosa, docet miseros semper in cruciatibus socios & assecras deposcere. Atque hæc quidem omnia quam appositisime.

Crederet tamen non ausim, Apostolorum Principem atque omnium fidelium caput, socii sui ac fratris forti inuidisse, aut emulatione quadam transuersum actum. Alias enim, & maxime in Domini transfiguratione contrariū demonstravit: cum enim in monte Thabor gaudio & voluptate ebrius glorie cœlestis specimen vidisset, sibi soli hanc gloriam non ambiuit, sed Eliam & Moysen eius participes habere voluit: *Bonum est nos hic esse, faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moysi vnum, & Elie vnum.* Non ait de se sole-

Matth. 17.

locutus, *Bonum est me hic esse*, sed numero plurali vsus in communi postulat, charitatis signum demonstrando, *Bonum, inquit, est nos hic esse.*

Sunt qui Petri hinc magnanimitatem, & ingentem erga proximum charitatem demonstrari posse putant: quod cum ad dignitatem illam euectus esset, totus scilicet Ecclesie caput, Christi in terris Vicarius, omnium fidelium pastor constitutus, amici sui Ioannis recordaretur, & de eo esset sollicitus à Christo petens, quid illi fieret, num vt Martyr moreretur, vel in vita permaneret, ideoque ait: *Hic autem quid?* id est, Ecclesia mihi tuæ Domine curam tradidisti, gregem tuum fidei meæ concredidisti: pastor ouium tuarum iam constitutus sum & animarum custos, quoniam moriturum me pro tui nominis honore prænantias, scire velim, quid me mortuo de ouibus meis futurum sit: quid pastore prostrato oues facturæ? quid membra ablato capite? duce quid occiso milites? sed imprimis quid socio meo, quem tanto opere diligis; & quem vt alterum me complector, fiet: *Hic autem quid?* Atque hæc præ cæteris aridet expositio.

Non imitatus est hic mundanos, qui ad aliquid dignitatis gradum euecti, & honores consecuti aliorum, qui inferioris sortis & conditionis sunt, obliuiscuntur, imo & eosdem contemnunt & vilipendunt. Hinc bene tritum sermone Proverbum: *Honores mutant mores.* Verum peruersa, vt dixi, ea consuetudo est: Æquum namque esset, vt qui ad dignitates euehuntur, interdum perpenderent, non tam propter se quam alios, honores sibi cœlitus dari, vt nimirum minoribus & pauperibus succurrerent, quosque iniqua fors humi affigit, ope & auxilio subleuarent suo.

Non ita Ioseph Patriarcha se in honoribus gessit, sed ad totius Ægypti præfecturam euectus, suorum tamen non obliuisceretur, sed ad fratribus succurrendum honores sibi collatos opinabatur. Hic fratribus ait, *Prosa- Gen. 45. lute vestra misit me Deus ante vos in Ægyptum.* Id est: Quamuis me charissimi fratres, ad summum dignitatis gradum euectum, vos autem

Mundani
ad honores
euecti suo-
rum obli-
uiscuntur.

autem inopia laborantes cernatis, nolite tamen existimare, vestrum me obliuisci, scio ad salutem me vestram à Deo in Ægyptum destinatum esse, nec tam mea quam vestra causa ad honores hos euectum.

Esth. 5.

Mardochæus quoque cum neptem suam Esther ad regiam dignitatem destinatam, à Rege Asluero adamatam, eique gratam esse cerneret, his eam litteris compellendam censuit: Agnoscisne Esther cæleste beneficium? summi Monarchæ vxor facta es: sed noli idcirco extolli aut insolecere, aut tuorum extremo in discrimine versantium obliuisci, *Nec putes, quod animam tuam liberes, quia in domo Regis es. Si enim nunc silueris, nec populi tui necessitatem Regiæ maiestati aperueris, ut eidem succurrat. Fata viam inuenient, qua salutem ille inueniat, & per aliam occasionem ab interitu Iudæi liberabuntur: & è contra, Tu & domus Patris tui miserè peribitis. Et quis nouit, utrum idcirco ad regnum ueneris, & regia coniux facta sis, ut in tali tempore necessitate que parareris, populo tuo clypeus, tutela ac defensio fores? Ecce ut honores ei datos persuadere conetur, ne suorum, ad imitationem mundanorum obliuisceretur, sed iisdem eo magis succurreret.*

Natura docet magnos minoribus debere succurrere.

Atque ut cætera omittam, hoc ipsa nos docet rerum natura & ordo. Ad quid enim creatos putamus cælos, ut scilicet sibi agant & ferantur? Nequaquam, sed ut velut causæ generales rebus inferioribus lumine suo & splendore, motu cæterisque influxibus succurrant. Ipsa rerum domina, omniumque promptuarum & officinarum, elementa non sibi creata sunt, sed ut velut communes Patres & generales nutritii omnibus mundi membris adessent omniaque producerent. Ignis in sublime elatus omnia calore suo in hoc inferiori mundo conseruat, fouet & nutrit. Aer corpus illud simplex & subtile omnibus quæ hic viuunt halitum & respirationem concedit. Oceanus quoque generalis illa officina aquarum semper operatur, flumina hominum vîbus semper & continuo emittit, quibus reficiat sitientes, & agros fœcundet, communis itaque totius naturæ caupo est &

pincerna. Denique terra, illa totius vniuersi dispensatrix, totum mundum nutrit, cômunes omnibus cibos præparat, nihil sibi seruat sed omnia apud illam cômunia sunt. Quæ omnia edocent hominem, quo ad maiores dignitates euectus est, eo & aliis se familiariorum reddere debere: quod cum fecerit, luculentum charitatis actum & superbiam quam maxime aduersantem demonstrabit.

Reprehenditur in sacris litteris ingens illa ingratitude æconomi Pharaonis, cui cum Ioseph humanum se & benignum demonstrasset, interea dum ambo in carcere cõclusi gemerent, eumque libertate donandum prædixisset, & simul addidisset, *Tantum memento mei, cum tibi bene fuerit, & facias mecum misericordiam, ut suggeras Pharaoni, et educat me de isto carcere: quia furtim sublatus sum de terra Hebræorum, & hic innocens in lacum missus sum:* ille è contra ingratus exitit: nam quamprimum ut carcere exemptus fuit, & pristinam in dignitatem restitutus, benefactoris sui oblitus est, cuius tamen meminisse semper debuerat, & nunquam sine ingratitude nota obliuisci, *Et tamen succedentibus prosperis, oblitus est interpretis sui.*

Quod Cicero de hominibus olim in genere ait: *Non solum nobis nati sumus, sed ortus nostri partem patria, partem parentes, partem sibi amici vindicant:* ipsum ego de iis, quos fortuna ad maiorem cæteris dignitatem euexit, melius dicturus video, quin etiam pauperum sustentatio, ut sacra profanis adiungam. Ipsa qui etiam charitas, teste Ioanne nostro, vitam ut impendamus, exigit: *In hoc cognouimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus nostris animas ponere:* quamuis ad honores euecti simus & summo in dignitatis gradu constituti, pauperibus nempe succurrendo, vitamque propriam ad eorum salutem & commodum impendendo.

Horum de numero erat sponsa illa in Canticis: hanc enim cum Rex in cellaria sua inuitasset, ut inebriaretur: sodales & socias suas, quo tanti beneficii participes redderentur, sponsique præsentia secum fruerentur, etiam inuitauit: *Egredimini, inquit, sitia Sion, Cant. 5.*

Et videte Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater sua.

Longior in his fui & prolixior, quod similem hic Petrus charitatem visus sit erga Ioannem demonstrasse. Cum enim Dominus Petro dixisset, vt in mortis sese via sequeretur, significans qua morte clarificaturus esset Deum: statim ille de Ioanne altante subintulit: *Hic autem quid?* Perinde ac si dicere voluisset: Cum honorem quo me affectum is, pro tui nominis gloria moriendo, considero, me, inquam, qui tam ingratus tibi extiti, coram Iudæis te cum anathemate negaui, qui te in primo impetu, cum comprehenderis, deserui, & fuga mihi consului, qui denique in te contumeliosus & blasphemus fui: quid huic igitur, si & quem tam tenere semper dilexisti, quem vt cor proprium amplecteris, qui fidelis tibi semper extitit, imo ad crucem vsque te securus est, & qua fuit in monumento te iacentem? Si blasphemus & perfidus tantam gloriam consequitur, qualem amicorum inimicus promerebitur? O profunda Philosophia!!

Designare hic Apostolorum Princeps voluit, eos quos Dominus habet charissimos, maximis quoque & pluribus crucibus opprimi & aduersitatibus probari: atque eas certissima diuini amoris esse argumenta. Hinc

Psal. 79. Psalmographus: *Potum dabo nobis in lachrymis in mensura;* id est, non effundes integra tribulationum in caput nostrum flumina aut oceanos, sed easdem moderaberis & temperabis: atqui harum mensura est, vt qui plus ceteris diligitur, plus etiam affligatur, quiq; Deo carior est, in mundo quoque maiores persecutiones toleret. Quod figura è libro

Exod. 24. Exodi deprompta manifestum faciet.

Cum Moyses factus inter Deum & Israelitas iniret, indissolubileque pactum pacifceretur, vniuersum populum sanguine lustrauit, parte reliqua altare aspersit: *Tulit itaque Moyses dimidiam partem sanguinis, & misit in crateras, partem autem residuam suauit super altare.* Et mox, *Ille vero sumptum sanguinem resperxit in populum,* & ait: *Hic est sanguis foederis, quod pepigit Dominus vobiscum super cunctis sermonibus istis.* Denotantur noua illa & inusitata

cerimoniarum, amicitiam Deum inter & homines effusione sanguinis firmari, non quidem Iesu Christi, sed eorum, omnia scilicet suppliciorum afflictionumq; genera tolerando. Porro inter bonos & improbos ingens discrimen est, quod hi non nisi tribulationum sanguine aspergantur, illi vero, qui vera Dei Altaria sunt, sanguine toti madescant & perfundantur. Atque hoc est, quod S. Petrus voluit innuere: quasi diceret; si ego Domine, cuius tanta fuit iniquitas, Martyrio coronari debeo, quantum supplicii & tormentorum hunc maneat necesse est, qui nunquam à iustitiæ tramite deflexit: si ipse mortem violentam pati debeo, dilectus tuus Ioannes, an non crudeliorem mortem subeat oportet? Sed pergamus ulterius.

Cum hunc in modum interrogasset Petrus, ita subintulit Dominus, *Et cum solo manere donec veniam, quid ad te?* quibus verbis significabat, Ioannem omnibus Apostolis superuicturum, nec morte violenta, nec gladio tyrannorum, nec crudelitate carnificum hinc abripiendum: seseque velle, diutius vt hoc in mundo ceteris Apostolis morte consumptis commoretur.

Dauid eum è praelio domum remeasset, omnes eum sui admonuerunt, domi vt maneret, nec se amplius bellorum discrimini, aut praelii aleæ committeret, *Non egredieris amplius nobiscum in praelium, ne extinguas lucernam Israel.* Te namq; occiso & extincto vniuersus Israel velut in tenebris & densa caligine versabitur. Vt hoc proposito adaptem, existimo Dominum, idem omnino Ioanni, qui Ecclesiæ fax & lucerna erat, dixisse; imo noluisse, vt post varia ac cruenta exhausta certamina, post eorum venenum, olei feruentis dolium, in Insulam desertam relegationem, iterum in praelium sese daret, tyrannorum iterum manus experiretur, ne ipso interempto Ecclesiæ vita & fax exstingueretur. Nam quemadmodum primi mundi incolæ, & humani generis fundamēta & propagines Inogo viuebant tempore, vt multis procreatis liberis humanum genus propagarent: ita quoque necesse erat initio nascentis Ecclesiæ & in primordio eius,

VI.
Christi responsum.

2. Reg. 21.

ius,

Ætas Ioan-
nis.

ius, aliquos Apostolos diuti⁹ hac in vita age-
re, vt ita Ecclesia propagaretur, ac plurimi
spirituales Filii eidem nascerentur. Inter cæ-
teros hac prærogatiua donatus fuit Ioannes
noster, qui vt Ecclesiasticæ historiæ tradunt,
nonaginta nouē annis, & triginta post Hiero-
soly morum excidium, ad vsque Traiani
Imperium vixit, vt ipse tradit Hieronymus.
Atque ad hanc longæuitatem referri debent
verba illa Christi, *Si enim volo manere, donec
veniam, quid ad te?* Id est, nolo eum Martyrio,
sicut cæteri Apostoli, absumi, sed è contra
volo, morte vt naturali exstinguatur. Te
quidē Petre, & vos omnes, qui hic adstatis,
qui passionis meæ tempore, veluti effeminati
& Theritæ fuga dilapsi estis, & me deseruis-
tis, neu me ad mortem & ad mortem vsque
Caluariæ sequi voluistis: ad vsque mortem
mihi iam oportet adherescere, quod prius fac-
ere detrectastis, iam faciatis pro meo nomi-
ne moriendo, atque ita vestrum in me affectum
testemini. Illos vero, qui mihi tunc
fidelissime adherere & assuere, vt Ioannes &
mater mea charissima ab huiusmodi mortis
genere exemptos volo.

Ioannes nō. Hæc verba nonnullis causam dedere di-
dū mortuus. cendi, nondum Ioannem mortuum esse, sed
iuxta ali- cum Enoch & Elia in paradiso terrestri ser-
uati, vt sub finem sæculi iterum ad vitam red-
eant, quo Antichristo insolescenti omnesque
peruertenti aduersetur, & circumuentos ab
eodem ad penitentiam conuertat. Ratio,
cui hi potissimum innituntur, è verbis Apo-
stolorum petita est: cum enim Dominus
hunc in modum Petro respondisset: exiit
sermo inter fratres, quod discipulus ille non
moritur. Deinde, quod promisit illi in Apo-
calypsi Angelus iterum ad vitam eum reditu-
rum, quo populis penitentiam annuntiaret,
Apoc. 10. *Operiet te iterum prophetare gentibus, lingua &
Lnc. 12. multa rigibus.* Tertio ex eo quod dixit in Eu-
angelio Dominus, *Non transibit generatio hæc,
donec omnia fiant:* quasi significare voluisset,
ex omnibus tunc viuentibus fore vnum,
nempe Ioannē Euangelistam, qui non prius
moreretur, quam omnia fuissent peracta &
completa, & quam iudicii dies aduenisset.

Denique, quod quemadmodum in lege na-
turæ Enoch, in lege Moysis Elias, non sunt
mortui, sed alio translati, ita Ioannes in lege
Euangelica eodem gaudet priuilegio. At de-
bilia admodum hæc sunt fundamenta, nec
vsque adeo firma aut valida facillimeque e-
uertenda.

Sed altera & certior, & scripturis confor- Probabili⁹
mior opinio est: Ioannem vere, quemadmo- est Ioannē
dum cæteri mortalium, mortem gustasse, & mortuum
commune omnibus naturæ debitum persol- esse.
uisse: & quamuis omnes hæc rationes in spe-
ciem verisimiles videantur, salius tamen est
& salutaris, eum vere mortuum credere, &
vna cum anima & corpore in cælo cum Bea-
tis regnare. Hoc vt credam, Euangelistæ me
verba inducunt: nam cum vidisset Aposto-
los ideo inter se dissentientes, & opinantes
Ioannem nunquam moriturū, hanc vt opi-
nionem mentibus eorum euelleret, mox ad-
iungit, *Et non dixit Iesus, quia non moritur, sed
si eum volo manere.* Deinde verba illa S. Scri-
pturæ, *Quis est homo, qui viuet, & non videbit
mortem?* & illa Pauli, *Statutum est omnibus ho-
minibus semel mori.*

Hæc sunt quæ de vita, morte, gloria, præ-
rogatiua sancti huius Apostoli, Euangelistæ,
Prophetæ, Doctōris, Martyris, denique di-
scipuli, quem diligebat Iesus, dici potuerunt.
Cuius tanta sanctitas & dignitas fuit, vt ipsi-
met Angeli, cum adhuc in terra agerent, eum
vt sodalem & gloriæ consortem agnouerint,
imo illius se seruos professi sint: hinc in Apo-
calypsi legitur Angelus quidam ei locutus,
Cave, ne feceris, conseruus enim tuus sum. Apoc. 19.
tantopere etiam Dominus Iesus dilexit, & à
quo vicissim tam feruenter amatus est. Et si
Prouerbum verum esse constat, *Omnitem- Prou. 12.
pore diliges, qui verus amicus est;* vere hunc ve-
rum Domini amicum appellare decet, qui
cum in prosperis & aduersis, in vita & morte,
in iuuentute & senectute dilexit. Hunc igitur
hodierna die inuocemus, vota supplica-
tionisque nostras illi offeramus, eiusque pre-
ces expostulemus.

O Ioannes penitus admirabilis, p̄ cæteris
sanctis, à Deo dilecte, qui inter omnes Apo-
stolos

Partitio.

Iob. 39.

stolos delicia & amor Christi Iesu appellati meruisti, qui hoc inter ceteros Euangelistas, quod inter aues aquila, adeo vt sublimis euolando solis, id est, Deo, diuinitatiq; vicinus factus sis. O aquila Euangelica, de qua Iob Propheta vaticinans ait: *in arduis ponet nidum suum, in petris manet & inaccessis rupibus: in summitate scilicet diuinitatis, & sinu Christi Iesu, qui vere Ecclesia petra est requiescens. O celo Deoq; dilecte! qui obtinuisti, quod tam enixe olim in Canticis sponsa postulabat,*

Gen. 44.

Pone me & signaculum super cor tuum. Domini tui cordi, velut amoris tessera & symbolum infixus. Tu es, o beate Ioannes, ad quem recurrimus, tu es, cuius hodie opem & auxilium imploramus. Filii Iacob cum Ioseph fratrem Regi Pharaoni gratum & acceptum esse cernerent, audacter ei locuti sunt, suamq; necessitatem exposuere. Nos filii Iacob, cum te fratrem nostrum hodie in caelesti aula Regum Regi gratum sciamus, ad te accedimus, opem & auxilium tuum postulamus; tuamq; intercessionem exposcimus, fratrum tuorum preces, o mitissime Ioseph, noli reicere, aliquid in eorum gratiam praesta, fac obsecro, vt solius Dei amor, qui semper in animo tuo eluxit & exarsit, in nostro quoque perpetuo exardeat, vt nimirum illum eo, quo olim tu, amore complectentes, in altero mundo etiam eo, quo tu eum modo vides, videre valeamus, quod beatitudinis nostrae caput est, ad quam nos sanctissima & indiuidua Trinitas conducat.

Amen.



1. De conatu Satanae ad Messiam aduentum impediendum.
2. De Iosepho monito, & fugam maturante.
3. De fuga ipsa.
4. De infanticidio, & infanticida.
5. De caesis infantibus.

Herodes videns, quoniam illusus esset à Magis, iratus est valde, & mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethleem, & in omnibus finibus eius, à bimatu & infra.
Matth. 2.

FIGVRA.

DAVID Rex, cum Arcam Domini in ciuitatem Bethleem, quae in tribu Iuda, 2. Reg. 6. duobus à Ierosolymis & viginti à Nazareth aberat miliaribus, & in qua ipse natus erat, conduxisset, varias Deo victimas immolauit, thymiamata plurima accendit, hostias & sacrificia obtulit. Quam porro praecleara haec figura est ad diram Innocentium stragem declarandam. Vix enim sacra Humanitatis Christi Arca eam ipsam ciuitatem Bethleem intrauerat, quin statim infinita victima & grex immolatorum tener Domino, crudeli Herodis gladio, in sacrificium cadat: ipsi inquam innocentes, quos Herodes rabie & furore accensus hodie obruncari & interfici iubet. Videre videor efferaentes carnifices, gladio tenera scrutantes viscera, ab ipsis matrum vberibus carissima auellentes pignora, sanguine natate compita, matrum eiulatum, & lamenta audire, ac varium vbique locorum stragem editam cernere. O triste nuntium! o crudele ac miserandum spectaculum! o cruentam tragediam, & stragem tragico dignam decantari cothurno! Equidem hanc hodierna concione describere decreui. Adsis Spiritus Paraclitice, qui corda fidelium illustratione superna edoces, tuque, o gloria